

ste Seneca, pessimus veritatis interpres salutatur, gratia fallit. Hos autem, tanquam alienæ mancipia libidinis, nuda antiquitatis autoritas è foro, *quò γνησίως φιλοσοφῶντες* gaudent aliàs, *libero*, captivorum ritu abducit. Priscorum namque hypotheses hi postremi tam devotè adorant, quasi ex Phæbi editæ essent tripode. Novi certè non neminem in Academia quadam celeberrima P. P. N. P. qui Aristotelem non modò luminis, sed Numinis instar propemodum colendo, hypothesis ipsius non minus, quam sacri codicis dogmatibus tribuere pondus solebat. Sed hujusmodi mancipia vel ipsemet Stagiritès redivivus irrideret procul dubio; Quippe qui jam tum suo ævo magnam Magni Platonis autoritatem (utut Præceptor ejusdem fuisset) rectæ rationis dictamini nequaquam prætulit; Quin potius dogmata, ab aureo veritatis tramite aberrantia, virgulâ castigavit censoriâ. Præterea dies diem docet, & successu temporis innotescunt multa, priscis plane ignota. Quantum enim Geometria & Optica, imo tota Mathesis, nostro ævo differat ab antiqva, summorum Mathematicorum, inter quos nomino Galilæum, Hevelium, Ricciolum, Clavium, Cavallerium, Hugenum, Herigonium, Kircherum, Schot-